DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS IV. MARTII MDCCXVII.

M. SALVATORE CLUSCARD, Doctore Medico, Præside.

An ad longævitatem laboris atque alimenti modus idem?

ALIMENTUM, res ex non naturalibus una; quæ tam est homini nato ad vivendum necessaria, quàm ipse spiritus. Hinc quidquid vitâ fruitur, accipit unde crescat, nutriatur, ac vigeat. Hinc etiam, quæ est nascendi conditio, mortis in dies obrepit necessitas: adeò caducum est quidquid ortum habet. Vita in motu posita est; motu tamen deteruntur partes corporis solidæ, ac paulatim debilitantur, liquidæ avolant, principiorum dissolvitur compages: est ergo eadem vitæ, interitûs-que causa. Hinc illud:

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Sapies igitur, si quæ naturæ necessitate fiunt, moderatè feras, &, quandiu potis es, corporis damna convenienti pabulo sarcias; cujus is esto modus, qui jacturæ; ne vires aut parciori deficiant, aut largiori obruantur.

NATURÆ minister atque adjutor Medicus non in hoc versatur uno, ut sanitatem, ipsâ vitâ potiorem, restituat; verùm etiam, quæ laus est artis vel maxima, ut corpus ab omni ægritudine tutum atque incolume servet quàm diutissimè. Illud contrariis assequitur subsidiis, hoc similibus. Quàm cautus in illis admovendis, tam in his administrandis diligens ac solers esse debet: prosunt benè utenti, abutentem lædunt. Temperamentum, ætas, sexus, consuetudo, vitæ genus, regio, tempus anni, &c. nota explorataque sint Medico necesse est, ut convenientia cuique subministret. Da robustum hominem, florentem annis & duris assuetum laboribus, da & imbellem juvenem, delicatulum, otiosum, in curandâ cuticulâ totum: si parem in utroque victûs rationem instituerîs, enecabis alterutrum, aut hunc copiâ, aut illum inediâ: in altero enim reponenda multa, in altero perpauca. Cave tamen ne nutrimenti copiam alimentorum pondere æstimes. Sunt quæ multùm nutriant, sunt quæ parum. Pisces, olera, radices, hominum alimenta priorum, innocuum quidem præbent ac salutare alimentum, ipsis aliquando carnibus anteponendum; has tamen longè plùs nutrire, quàm illa, negaverit nemo, cui notus uterque cibus. Tu fabis vescare, an perdicibus, parvi refert ad longævitatem, dummodo consuetudinis habeas rationem & laboris: illa quales cibi, quàm multi hic assumendi sint, edocebit.

IN sudore vultûs tui vesceris pane. Hæc simul edixit supremus rerum omnium arbiter Deus, Tellus Creatoris voci docilis, divitias suas, annua dona sinu suo penitus recondidit, unde humanos in usus extundi non nisi improbo labore possunt: Hinc illud, *Qui non laborat, non manducet.* Est ergo cibus laboris merces; at merces operæ concedi debet multa multæ. Ecquis posthac gravem homini queratur laborem, sinè quo nec comedere cuiquam licitum est, nec valere diu datum? Labor novum in dies membris insinuat vigorem, roborique robur addit. Hoc vigent instrumenta functionum omnia, partes solidæ firmantur, elaborantur liquidæ, cruda coquuntur, attenuantur crassa, superflua ejiciuntur. Quòd sanguis expedito cursu circuitus suos perennet, facies decore rubeat, mollescat cutis universa benigno perfusa vapore; Quòd alacre corpus, atque ad obeunda vitæ munia impigrum sit, laboris propria sunt dona. Hic, ne malus renes urat calculus, aut metuenda artus tentet podagra, præsentissimum est remedium. Denique ignavia corpus hebetat, labor verò firmat: Illa maturam senectutem, hic longam reddit adolescentiam.

TEMPERAMENTA totidem ferè sunt, quot hominum millia. Sua est unicuique crasis propria, suus ab ortu genius; non à quatuor illis humoribus, qualitatibusve primariis veterum pendens, sed partium solidarum indolem, harumque cum liquidis æquilibrium consequens. Hinc alii aliâ re delectantur; quod uni prodest, nocet alteri. Non animus idem omnibus, non ingenium. Studia quoque in diversa trahuntur homines, adeo una multiplexque res est natura humana. Refici quidem alimentis omni homini necesse est, est & laborare necesse; at nec labor, nec cibus idem, nec eadem utriusque mensura imperanda omnibus. Neque etiam qui labores eosdem, eosdem continuò cibos ferunt; ni fortè in his atque illis ex æquo labore, æqua transpiret lymphæ copia, idemque sit aliarum secretionum modus. Quæ si secùs fiant, eos ales pleniùs, quorum è corpore uberior transpiratio erumpet. Quid multa ex labore transpirationis mensuram æstimare, ex hâc alimenti copiam definire memento.

EST modus in rebus, sunt certi denique fines. Quemadmodùm inertia segne corpus efficit, labor verò nimius frangit ac debilitat; sic in utroque liberalior esca gravis est. In illa enim quia transpiratio perpauca, tenui cibo opus est. In hoc quia nimia, vires largiori non sufficiunt, languent utrimque, vel quia exercitatæ non sunt, vel quia exhaustæ. Senes ipsi, quorum plerique propter infirmitatem corporis à rebus agendis, atque omni operosiori munere avocantur: mirum quàm parvo vivant! Animalia quædam somno sopita hiemes integras jejuna degunt. Qui libris impallescunt, iis quia animus magis quàm corpus exercetur, exiguo admodùm cibo reficiuntur. Nimirùm labor & cibus mutuam operam poscunt, & conjurant amicè hominum in commoda, si pares coeant, in perniciem verò si dispares.

Ergo ad longævitatem laboris atque alimenti modus idem.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS DE SANTEUL, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1717. à quintâ ad meridiem.

Typis JACOBI QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.